

## ANDREAE MAUROCENI

## V I T A.



ANDREAE MAUROCENI, Senatoris amplissimi, Vitam literis mandare decrevi; non quod clarissimo nomini, & ad omnis posteritatis memoriam venerando aliquid splendoris tenebricosa scriptione possit accedere; sed ut in oculis civium nostrorum, atque in auribus omnium gentium, & nationum positum sit exemplar perfecti, atque numeris omnibus absoluti Senatoris, quod, veluti sanctissimum virtutis simulacrum, in Republica consecratum respicere possint omnes, auspicatoque colere, & venerari. Etenim si colligere, atque in unum conferre velis virtutes omnes, ut pacis, togaeque artibus clarum, planeque divinum civem effingas, & cunctis gentibus, atque aetatibus spectandum proponas: non alium profecto effeceris, quam MAUROCENUM, in quo difficile sit statuere, utrum ingenii, & doctrinae, an morum, & virtutis gloria magis eminuerit. Si qua vero aetas hujuscemodi viros tulerit, ut haec nostra tulit, operae pretium semper, atque e Republica fore existimavi, eorum praeclara dicta, factaque in album referri; ut non modo recentissima quaeque, & praeclarissima exempla, sed etiam spes ipsa gloriae, quae mortalium animos plurimum allicere, atque ad se attrahere solita est, juvenes ad imitandum impellat, ubi dignae virtutes, & egregia in rempublicam merita, veris quidem & meritis laudibus celebrari, atque doctorum hominum scriptis aeternitati commendari explore cognoverint. Quod autem solet ceteris hac in re negotium facessere, de hoc ego susque deque, idque palam testor: multos videlicet futuros, qui vitio gentis humanae, historiae fidem infirmare conentur: cum ita natura comparatum sit, ut ea solum facile credant homines, quae se studio, atque labore, & ingenio praestare confidunt: quidquid autem longe distat, atque clarissimum eminet, fictum potius credere velint, quam se victos fateri. Etenim quaecumque scribo, multos, eosdemque magnos, & omni exceptione majores testes habent, quos passim laudare, si lubet, liceat: nec ullus esse potest mendacio locus, dum ea narrantur, quae, cum heri, aut nudius tertius inspecta fuerint, civitati universae tam nota sunt, quam quae notissima. Illud ingenue fatendum est, munus me suscepisse pulcherrimum, cuique nullo modo par sim futurus, si rebus ipsis orationis vis, & ornamenta respondere debeant. Verumtamen, cum omnia in MAUROCENO virtus, atque doctrina occupaverit, nullusque obtrectationi, & invidiae locus esse possit, aberit haec mea scribendi ratio ab omni artificio; quo Senatoris optimi virtus ipsa, non torquibus, & phaleris ornata, sed nuda, simplexque sine fuco, & fallaciis, oculis omnium spectanda subjiciatur. Sola igitur rerum commemoratione officio meo satisfaciam, quod aruspices olim in rebus divinis usurpabant, id vere, atque ex animo praefatus, *nihil addo de meo*.

Duae res in unum, eundemque hominem aut vix, aut nullo modo convenire solent, summa in quavis arte liberali eruditio, & in republica administranda prudentia singularis: in quibus singulis qui primas ferunt, eos in

ma-